

Q. 524, 33.

B. M.

II c
540

DE

SCYLACE. GEOGRAPHO. ANTIQVISSIMO
ILLIVS. QVE. PERIPLO
DISSERIT. SIMVL. QVE

AD

ACTVM. VALEDICTORIVM

D, III, Id. APRILIS A. R. S. c10100CLXV.

HORA. NONA. INSTITVENDVM

SCHOLAE. NOSTRAE. PATRONOS
ATQVE. FAVTORES

EA. QVA. DECET. OBSERVANTIA

INVITAT

M. IOAN. GEORGIVS. HAGER
RECTOR.



CHEMNICII
LITTERIS. IOAN. CHRIST. STOESSELII.



UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LEIPZIG

ACTIVUM

ACTIVUM

ACTIVUM





Geographiam alterum, alterum vero Chronologiam Historiae esse oculum eruditissimi historiarum docent doctores, & recte quidem docent. Nullum enim, inquit celeberrimus FABRICIUS (a), cogitari potest magis obscuram, vel confusum chaos, quam rerum quarumcunque narratio, ubi ratio temporum, vel locorum confunditur, aut ignoratur. Ab eo igitur, quo mihi Chemnicii, praeter alia humanitatis studia, historiam publice docendi prouida patronorum cura beneuole contulerat munus, tempore Geographiam quoque proponendam esse duxi, eamque non solum nouam, sed etiam antiquam. Quemadmodum vero dulcius, ut tritissimum testatur prouerbum, ex ipsis fontibus bibitur aqua: Sic etiam sedulo doctrinae meae alumnos ad ipsos adducere soleo fontes, ut maxime ex illis illi necessariam ad rite intelligendos historicos scriptores antiquos graecos atque latinos Geographiae antiquae cognitionem haurire possent. Morem enim illum infansio fidere nostro ingrauescentem tempore ex solis translationibus & riuulis teutonicis saepissime lutulentis sapiendi e schola nostra penitus proscriptum esse volumus. Non omnem quidem linguae nostrae vernaculae culturam negligimus, sed eam ex retinemus lege, ne fontium graecorum latinorumque cultura ei postponatur, sed potius praeponatur.

Multum, crede mihi, refert, a fonte bibatur,

Qui fluit, an pigro, quae stupet vnda, lacu (b).

Ad Graecos atque Latinos iuuenes ergo fidei meae concrediros ire iubeo scriptores, ut e fontibus Geographiae antiquae scientiam potius hauriant, quam riuulos confectentur (c). Sed vltro currentibus limpidiissimi illi, paucissimis cogniti, indicandi sunt fontes. Ea ex causa anno praeterito

)(2

pau-

(a) In Bibliographia antiqua. a PAVLO SCHAFFSHAUSENIO Hamb. cl. 1766. in 4to edita C. V. p. 183.

(b) MARTIALIS Lib. IX, Epigr. 100.

(c) Eandem mecum habet sententiam CICERO in Quaestion. Academicis Lib. I, c. 2.

paucissima de HANNONE illiusque periplo in medium proferenda putavi (d). In praesenti autem in gratiam studiosae iuuentutis de SCYLACE differere placet.

Duo in historiaram monumentis antiquis occurrunt Scylaces, quorum alter *Caryandensis*, alter vero *Halicarnassus* fuit. De priore HERODOTVS ita: Darius cupidus cognoscendi vbinam Indus, qui secundus omnium fluniorum crocodilos praestat, mare influat, misit nauibus cum alios quosdam, quos vera renunciaturos confidebat, tum SCYLACEM, virum Caryandensem. Isti e Caspatyro vrbe & terra Pactyica soluentes, secundo flumine auroram versus atque solem orientem nauigantes in mare, dehinc per ipsum mare occasum versus, tricesimo demum mense tenuerunt eum locum, vnde rex Aegyptiorum Necus Phoenices miserat (f) ad Africam circumnauigandam. De posteriore autem CICERO haec retulit: (g) SCYLAX Halicarnassus, familiaris Panaetii, excellens in Astrologia, idemque in regenda ciuitate sua princeps totum hoc Chaldaicum praedicendi genus, ex natali nimirum die, repudiauit. Ex his clarissimis testimoniis quilibet a partium studio remorus facile cognoscere poterit, SVIDAM (h) ex hisce duobus vnum tantummodo effinxisse Scylacem. En illius verba latine reddita: SCYLAX Caryandensis, Caryanda vero est vrbs Cariae prope Halicarnassum, Mathematicus & Musicus. Scripsit Periplum locorum extra columnas Herculis. De Heraclide Mylassorum reg. Terrae Periodum. Librum aduersus Polybii Historiam. Quis non vider, SVIDAM ea, quae de Scylace Caryandensi & Halicarnasseo narrantur, soli adscripsisse Caryandensi eique sine omni teste, adeoque falso, attribuisse, illum aduersus Polybii Historiam scripsisse librum. Id quod nemini mirum videri debet, propterea quod in colligenda tam varia & multiplici verborum rerumque copia ex scriptoribus quam

(d) In Progr. Chemnicii A. c10 Iocclxiur. in 4to. edito. Copiosius vero egi de illo in Bibliotheca mea Geographica P. VI. Chemnicii c10 Iocclxiiii in 8vo.

(e) In Melpomene, s. Lib. IV, c. 44. p. 236. Edit. Iac. GRONOVII Lugd. Bat. 1715. in fol.

(f) In Melpomene, s. Lib. IV. c. 42. p. 234.

(g) De Diuinatione Lib. II, c. 42.

(h) In Lexico suo sub voce Σκύλαξ T. III. p. 340. edit. LYDOLPH. KVSTERTI Cantabrigiae, 1705. fol.

quam plurimis antiquis tempore illo, quo vixit, admodum obscuro facile a via veritatis aberrare potuit SVIDAS. Clarissimo vero HENRICO DODWELLO vix condonandum videtur, qui ex vno Scylace Caryandensi duo Scylaces Caryandenses feniozem, scilicet Herodoteum & iuniozem, Polybio coaeuum, sine omni veterum suffragio effingere, adeoque tres orbi litterario obrudere tentauit Scylaces (i). Sed ea ex causa iuniozem suum Scylacem effinxit, vt Periplum, quem hodie habemus, Scylacis illi adiudicare, Seniori vero abiudicare possit. Non quidem negauit, Scylacem feniozem, vt nominat, scripsisse Periplum, sed illum periisse, & iunioris sui Periplum, quem nemo vnquam vidit, hodie tantum extare putat. Sed solus putat Dodwellus testimonio Svidae lubrico & confuso innixus. Hunc enim iuniozem Caryandensem Polybio coaeuum Scylacem scriptores antiqui ignorant, omnes potius antiquissimum illum tantum agnoscunt. Natus ille fuit Caryandae, haud ignobili Cariae oppido (k). Patre vsus est nobis quidem incognito, nihilominus noster circa A. M. 3450, sub Dario Hystaspide, Olymp. 73, 4. vel A. M. 3464. defuncto, cognitione sua historica & geographica vnus omnium maxime floruit. Hinc etiam a Dario missus est, vt Indum fluuium & oras maritimas lustraret. Circumnauigatione sua intra triginta menses peracta rediit, itineris sui maritimi descriptionem, quae periplus vocatur, composuit illamque Dario dedicauit, vt nobis confirmat incertus auctor graecus (l) ex Aelio Dionysio: *Ἀέλιος Διονύσιος ἐν τῷ περὶ Ἀλεξανδρείας βιβλίῳ πρώτῳ Φησὶν, ὅτι Δαρείῳ προσέθηκε Σκύλαξ τὸ Φρόντισμα.* Quanquam haec dedicatio hodie

)(3

(i) In Dissertat. de aetate peripli Scylacis, quae habetur in Vol. I. Geograph. vet. Scriptor, gr. min. a IOAN. HUDSONIO Oxoniae, 1698. edit.

(k) Sic nobis refert STRABO Lib. XIV. p. 972. edit. ALMELOVEEN. Amstd. 1707. in fol. vbi ita legimus: *Ἐν δὲ τῷ μεταξύ Καρυάνδα λίμνη καὶ ἐμώμιμος ταύτη, ἣν ᾠκου Καρυανθῆς. Ἐντεῦθεν δὲ ἦν καὶ Σκύλαξ ὁ παλαιὸς συγγραφεύς.* Interiacet Caryanda, palus, & eiusdem nominis insula, quam incoluerunt Caryandenses: patria haec fuit Scylacis antiqui historiae conditoris. Ex ipso Scylacis nostri periplo haec verba hausisse videtur STRABO, vbi p. 38. in edit. Hudsoniana ita fluunt: *Καρυάνδα νῆσος καὶ πόλις, καὶ λίμνη,* Caryanda insula, & vrbs & portus. Sed in Strabone falso legitur *λίμνη* pro *λίμνη*, id quod BERKELIUS recte ad STEPHANVM iam obseruauit, p. 453.

(l) Vide testimonia Scylacis periplo praemissa in Editione Hudsoniana in Script. Geogr. gr. min. Vol. I.

hodie non amplius extat; extat tamen ille idem antiquus periplus, id quod ex inuincibili, ab omnibus huc vsque praetermissio, argumento patebit, quod nobis MARCIANVS HERACLEOTA suppeditauit. (m) Antiquissimi nimirum Geographiae Scriptores longirudinae & latitudines nauigationum et locorum non *stadiis*, sed *dierum noctiumque spatiis* indicare solebant. Hunc morem obseruabis in periplus Hannonis, nec non in periplus SCYLACIS hodie superstitite. Antiquissimus ergo antiquissimi Scylacis noster, quem hodie adhuc habemus, periplus est. Quidam vero non esset, quum illius fide dignissimus, qui circa A. M. 3500. vixit, ARISTOTELES, ante tempora Polybii circa A. M. 3770. postea demum uidentis, mentionem iam fecit. En verba Aristotelis ex translatione latina (n): Clarum est, quod semper eisdem istos melius foret imperare, alios vero parere. Sed cum facile non sit hoc reperire, nec sic, ut apud Indos SCYLAX esse ait, reges tantum a populis differre. Sed praeter hunc nostrum antiquissimum Caryandensem veteres recentiorum Polybio coaeuum nesciuerunt Geographum Scylacem, hinc illum non solum uocarunt scriptorem antiquissimum, sicuti STRABO (o) & STEPHANVS Byzant. (p) & virum antiquissimum, ut incertus auctor graecus (q), sed etiam, ex illo antiquissimi Scylacis periplus varia, quae in hodierno adhuc extant, depromserunt. Sic STRABO Troadis initium ab Abydo ex Scylace reperit (r): *Σκύλαξ δὲ ὁ Καρυανδέου ἀπὸ Ἀβύδου ἀρχαίου*, Scylax Caryandensis Abydum Troadis initium facit, In periplus nostro
 Scy-

- (m) In fragmento Epitomes ARTEMIDORI Ephesii p. 63. Edit. Hudson. ubi Periplorum recenset scriptores. Hannone & aliis praemissis pergit: *ὄν μὴν ἀλλὰ καὶ Σκύλαξ ὁ Καρυανδέου καὶ Βύθαρος οὗτοι δὲ ἐκότεροι ἡμερησίων ἤσαν ὄν διὰ τῶν σαδίων τὰ διαστήματα τῆς θαλάσσης ἐδήλωσαν.* Quin etiam & Scylax Caryandensis & Bothaens, uterque autem horum dierum noctium, que spatiis, non stadiis distantias per mare indicarunt.
- (n) Politic. Lib. VIII, c. 14. p. 554. Opp. T. II. Aurel. Allobrog. 1606, 8. Sic occurrit quoque in Cinnorum politia apud Scholiasten Apollonii Rhodii Lib. I, v. 1177.
- (o) Lib. XIV, p. 972. ubi dicitur *παλαιὸς συγγραφεύς.*
- (p) In voce *Καρυάνδα*, ubi *παλαιὸς λογογράφος* appellatur.
- (q) Vide testimonia praemissa Scylaci in Edit. Hudson. *Σκύλαξ ἀρχαίτατος ἀνὴρ.*
- (r) Lib. XIII, p. 873. & Lib. XII, p. 849.

Scylacis ira legimus: 'Εν δὲ τῇ ἡμέρῃ Ἄβυδος ἐστὶ, ἐντεῦθεν δὲ Τρωάς ἀρχεῖται, in continenti est Abydus, hinc Troas exordium capit (s). Sic PHILOSTRATUS Scylacis Sciapodas & macrocephalos in dubium vocans dixit: σκιάποδας δὲ ἀνθρώπους, ἢ μακροκεφάλους, ἢ ἐπίσσι Σκύλακος ζυγγραφεὶ περὶ τοῦτων ἔδουσαν, ὅτε ἄλλοτε ποὶ βιάσταν τῆς γῆς, ἔντε μὴν ἐν Ἰνδοῖς, Sciapodes & Macrocephalos autem & quae de illis Scylacis historiae canunt, nec apud Indos, nec alibi terrarum vsquam obuia esse (t). Facile contra Philostratum & Sciapodes & Macrocephalos asserere adeoque fidem Scylacis vindicare possem, quia istiusmodi populi omnino fuerunt (v): Sed sufficit hoc loco obseruare, Philostratum hodiernum periplum antiquissimi Scylacis ad manus habuisse, id quod non solum ex loco antea adducto apparet, sed etiam alibi in Philostrato vestigia Scylacis animaduertimus (x). Sic porro ad Scylacis periplum HARPOCRATION prouocauit his verbis: Ἰπὸ γῆν δικύντες, λέγοι ἀν τοῖς ὑπὸ Σκύλακος ἐν τῷ περίπλῳ λεγομένου Τρωαγλοδύτας. κ. ι. λ. (y) Tandem TZETZES quoque de Sciapodibus, Monophthalmis &c. loquens testimonio utitur SCYLACIS (z). Ex his omnibus igitur clarissime elucere arbitramur, vnum tantummodo fuisse SCYLACEM Caryandensem eumque antiquissimum, minimeque recentiorem quoque Polybio coaeuum, vt SVIDAS, GERHARD. IOAN. VOSSIVS (a), ISAC. VOSSIVS (b) & HENR. DODWELLVS putarunt. Sed prioris tantum periplus hodie adhuc existit, quia in eo antiquissimus mos distantias

maris

(s) In Edit. Hudson. p. 35.

(t) In vita Apollonii Tyan. Lib. III, c. 47. p. 134. Edit. GOTTFR. OLEARII Lipsi. 1709. fol. SCYLAX loquitur de iis p. 33.

(v) Sic a SVIDA sub voce σκιάποδες T. III. p. 330. ex Harpocratiōne describuntur Sciapodes & in MELA Lib. I, c. 19. & in PLINII H. N. Lib. VI, c. 4. occurrunt Macrocephali.

(x) Philostratus in Propem. ad Heroica p. 666. de Elaeo vrbe Thraciae, SCYLAX p. 28. & PHILOSTR. in Heroicis c. II, p. 670. SCYLAX p. 23. de Cycladum insula Peparetho agunt.

(y) V. Testimonia in Edit. Hudson. Scylaci praemissa, & Harpocratiō in Voce ὑπὸ p. 175.

(z) Chilliade VII, Hist. 144.

(a) de Histor. Gr. Lib. I, c. 19.

(b) In praefat. ad Scylacem Amstd. 1639. 4.

maris non stadiis, sed dierum noctiumque navigatione indicandi observatur. Deinde quia veteres, ARISTOTELES scilicet, STRABO, STEPHANVS, PHILOSTRATVS, HARPOCRATION & TZETZES recentiorum ignorarunt, eumque potius antiquissimum appellarunt illiusque testimonio vsi sunt & varia, ex illius periplo, quae in hodierno extant, hauserunt. Hinc celeberrimi I. A. FABRICII verba paullulum mutata (c) nostra facimus: Quid igitur? Num Svidae, Dodwello aliisque recentioribus plus fidei, quam Aristoteli, Straboni aliisque veteribus habebimus? Aut credemus scriptorem Polybii aequalem Tyrum *Βασίλειαν νῆσον*, appellaturum, p. 42. aut Thebas *τῆχος*, p. 23. memoraturum? Aut (d) Lyfimachium & Antiochiam Syriae, itemque Thesfalonicam, & in Aegyptiacae orae descriptione Alexandriam praetermissurum? Non sane! Genuinum ergo antiquissimi Scylacis periplum & minime tantummodo Epitomen, vt Vossius putat, adhuc habemus, sed iniuria temporum forsitan haud integrum parumque emendarum (e). Descriptionem suam incepit, vt ipse restatur, ab Herculeis columnis, quae sunt in Europa, scilicet in Hispania, vsque ad Herculeas columnas quae in Africa sunt & vsque Aethiopas magnos. Inscriptio peripli docet, quaenam in eo quaerenda sunt. Est vero haec: *Σκύλακος τοῦ Καρυανδέως περίπλους τῆς θαλάσσης τῆς οἰκουμένης Εὐρώπης, καὶ Ἀσίας, καὶ Λιβύης, καὶ ὅσα καὶ ὅποια εἶδη ἕκαστα, εἰζῆς καὶ χάρται, καὶ λιμένες, καὶ ποταμοὶ, καὶ ἕσα κήκη τῶν πλῶν, καὶ αἱ νῆσοι αἱ ἐπὶ αἱ δεικνόμεναι, κατὰ τὴν ἑκάστη πᾶσαι τῆς ἡπείρου.* Scylacis Caryandensis Periplus maris habitabilis Europae, Asiae Africaeque, deinceps regiones, portus & fluvii, & quantae navigationum longitudines, item septem insulae habitatae, prout quaeque adiacet continenti. Omnium primus *graece* hunc edidit Periplum Scylacis e codice Palatino DAVID HOESCHELIVS cum Marciano Heracleota Artemidoro & aliis Geographis graecis, Augustae Vindel. 1600. 8. Deinde *Graece* potuit cum translatione latina, notis & castigationibus ISAACI VOSSII, subiuncto anonymi Periplo Maeotidis Paludis & Ponti Euxini, Am-

(c) In Bibl. Graeca Lib. IV, c. 2. §. 6. p. 33.

(d) Iac. GRONOVIVS in praefat. ad Geographica antiqua L. B. 1697. 4.

(e) Sic indicat Rich. Bentley in Apologia Diss. de Epist. Phalaridis p. 327. *Scylax one of the most corrupted books in the World.*

(f) In Editione Hudsoniana.

Amstelodami, 1639. 4. Postea Geographica antiqua, nimirum Scylacis Periplus, Anonymi periplus Maeotidis Paludis & Ponti Euxini, Agathemeri Hyporypofis Geographiae, & Anonymi expositio latina totius mundi a Iac. Gothofredo edita, gr. & lat. cum not. H. Vossii, Iac. Palmerii & Iac. GRONOVII Lugd. Bat. 1697. 4. Porro in Geographiae veteris Scriptoribus graecis minoribus gr. & lat. Oxoniae, 1698. 8vo. & tandem Scylacis Periplus maris mediterranei, Anonymi Periplus Maeotidis Paludis & Ponti Euxini, Agathemeri Hyporypofis Geographiae, omnia graeco latina, Anonymi expositio totius mundi latina, cum notis H. Vossii, Iac. Palmerii, S. Tennullij, ex emendatione Iac. GRONOVII Lugd. Bat. 1700. 4to.

Sed haec de Periplot Scylacis sufficiant. Nunc me ad alios proficiscentes conuertam, nimirum ad politissimos quosdam iuuenes in academiam abituros & musis nostris valedicturos, quibus beneuolam auditorum auram captare studebit

Samuel Fridericus Iunghansius, Chemn. Misa.

optimae spei ornatissimus iuuenis praemissa *orat. lat.* de genuinis liberalitatis fontibus. Quo facto prodibit

Ioannes Fridericus Weiccartus, Chemn. Misa.

Qui, licet admodum paupere, sed honesto & pio vtiatur parente, ab in-
eunte tamen aetate scholam nostram diligentissime frequentauit & sub
auspiciis diuinis se totum studiis consecrauit, non dubitans, fore, quin
sub hoc tutamine & auxilio diuino patronorumque beneuolentia finem
obteneat suum. Otrinebit quoque eum, vt arbitror, quia clementissimi
sui DEI praecepta pro viribus semper seruauit seruabitque in posterum.
Linguarum, quae ad veram eruditionem consequendam necessariae vi-
dentur, studium rite pertractauit in iisque haud contemnendos fecit
profectus. Musicam praeterea bene excoluit & morum suauitatem
omnibus demonstrauit. Specimina quoque edidit publica, quum A. cło
1661. de vicissitudine omnium rerum *latine* diceret, & A. cło 1662. de
commilitones quosdam *carm. reut.* dimitteret praemissa *orat. graeca.*

);(;(

Nunc

Nunc vero vltimum vale ſcholæ noſtræ acclamabit *carm. teut.* præmiſſa
orat. teut. de ſpe humana. Spem illius vt Lipſiæ expleat DEVS,
precor.

Christian. Gottlieb. Hofmannus, Chemn. Miſn.

Honeſti apud nos ciuis eximiae ſpei filius, qui non ſolum egregiis inge-
nii dotibus ornatus eſt, ſed etiam propria ſua diligentia quotidie ſe per-
fectiorem reddere diligentiffime ſtudit. Hinc celeriter, quæ a præ-
ceptoribus tradebantur in ſchola noſtra, accepit, quo factum eſt, vt exi-
mios in iis, quæ ab humanitate nomen habent, doctrinis & artibus, faceret
progreſſus, facietque, vt auguror, porro clariffimorum doctiffimorum-
que HAVCKIORVM, auunculorum ſuorum noſtrorumque quondam di-
ligentiſſimorum diſcipulorum laudatu digniſſima exempla imitaturus.
Diligentiæ præterea ſuæ ſemper laudabilem iunxit DEO & præcepto-
ribus obediendi cupiditatem. Morum tandem ſuaviſſimorum aliarumque
virtutum ſtudioſiſſimus huc vsque fuit cultor. Dexteritatis ſuæ publice
apud nos edidit ſpecimina, quum A. MDCCCLXIII. de ſtatu infelici rei-
publicæ, cultura ſcientiarum carentis, *teutonice*, A. MDCCCLXIII. de libe-
ralitate, optima ad immortalitatem via gallice & eodem anno de ritibus
quibusdam Chriſtianorum *teut.* peroraret. Nunc vero academiam re-
petiturus Lipſienſem nobis valedicet *carm. teut.* præmiſſa *orat. gall.* de
imperatore Maximiliano.

Carolus Auguſt. Iunghanius, Baerenſtein. Miſn.

Viri plurimum reuerendi M. SAM. AVGVST. IUNGHANSII, Archi-
diaconi apud nos ad d. Iacobi meritiſſimi, optimus filius, qui non
parentis ſui doctiſſimi ſacundiſſimique laude ſuperbire voluit, ſed
propriam ſectari maluit. Hinc ſalua veritate proſitemur, ſingula-
rem huic iuueni concentum virtutum contigiffe. Sic prima illius,
quæ iuuenes ornat, laus vera huc vsque fuit pietas. Pietatem
præterea ſuam erga cariſſimos parentes & ſuos, quos ne vultu qui-
dem vnquam læſit, præceptores & erga benignos, quos coluit, patro-
nes, erga vitæ vero ſuæ ſocios & omnes ſuauitatem morum luculenter
& perpetuo demonſtrauit. Studia tandem humanitatis tam diligenter
&

& ita excoluit, vt nunc cum fructu rite praeparatus scholam nostram cum academia Lipsiensi commutare possit, variis iam editis doctrinae suae speciminibus. Perorauit nimirum A. c1616cclxxiii. de castris Israelitarum in locis desertis dimittens Cleemannos *carm. teut.* & eodem adhuc anno de ritibus gentilium eorumque ortu & progressu *lat.* & sub discessu perorabit de aeneo serpente vexillo salutis inter Israelitas vexatos graece valedicturus *carm. teut.* Memoriam illius bibliothecae nostrae ABRAHAMI BZOVII Historia Ecclesiast. Coloniae, 1617. fol. dono data conseruabit. His abiturientibus faustissima quaeuis precabitur *carm. teut.*

Christian Gottlob Boettger, Chemn. Misn.

habita orat. teut. de laude principis officia sua erga sibi subiectos obseruantis,

Nunc Vos, *Patroni atque Fautores maximopere colendi*, qui scholae nostrae faueris, ea, qua decet, pietate oro atque obtestor, vt praesentia VESTRA exoptatissima nos exhilarare beneuoleque oratores nostros audire velitis, pro quo beneficio nos VOBIS deuinctissimos pollicemur. P. P. Chemnicii, d. X. April.

A. R. S. c1616cclxxv.



QA Tc 540

[Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]


[Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]

X3063842

VDA 18





B.I.G.

Farbkarte #13

Qr. 524, 33.

B. M.



DE

SCYLACE, GEOGRAPHO. ANTIQVISSIMO
ILLIVS, QVE. PERIPLO
DISSERIT, SIMVL. QVE

AD

ACTVM. VALEDICTORIVM

D, III, ID. APRILIS A. R. S. c1010cclv,
HORA. NONA. INSTITVENDVM

SCHOLAE. NOSTRAE. PATRONOS
ATQVE. FAVTORES

EA. QVA. DECET. OBSERVANTIA

INVITAT

M. IOAN. GEORGIVS. HAGER
RECTOR.



CHEMNICII
LITTERIS. IOAN. CHRIST. STOESSELII.

